



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Aimerico Illvstri Regi Hierosolymitano.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

AIMERICO ILLVSTRI REGI  
Hierosolymitano.

Epist. 487.  
Illum ad pietatem & modestiam hortatur, auxiliumque sua promittit.

Venientem ad nos dilectum filium magistrum I. Clericum & nuntium serenitatis regiae, qua decuit benignitate recepimus, & in his quae nobis proposuit ex parte magnitudinis tuae curavimus, quantum cum Deo potuimus, exaudire. Verum quia, sicut Domino placuit, à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, manum misisti ad fortia, & illius terrae administrationem & regimen assumpsisti in qua Dominus & redemptor operatus salutem nostram dorsum posuit ad flagella, & humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, regiae magnitudini est summo-  
pere satagendum ut exemplo ejus qui coepit facere & docere, in tribulationibus non deficiat quae terram illam nimis exigentibus peccatis invenerunt, in quibus adjutor tibi aderit, si sustinueris patienter, fidelis Deus, qui neminem patitur tentari supra id quod poterit sustinere, sed facit cum tentatione proventum. Eiusdem quoque humilitatem studeas quantum poteris imitari, ut quanto major es, tanto te amplius in conspectu Domini humiliter, ut exaltet te in tempore visitationis. Qui enim se humiliat, juxta scripturae testimonium, exaltabitur, & qui se exultat, humiliabitur.  
\* **Neque** \* devotio debet aliquatenus dubitare, quin si per opera virtutum praemissarum & etiam aliarum studueris in lege Domini ambulare, tribuat tibi Dominus secundum cor tuum, & mittat tibi auxilium de sancto, & de Sion te tueatur, & cum sit misericors & miserator, non continebit in ira misericordias suas, qui etiam in ulciscendo non obliviscitur misereri: qui si pro nobis fuerit & nobiscum, quis contra nos? Alioquin cum renes & corda scrutetur, nisi conversus ad eum fueris, nec ipse ad te convertetur: sine quo nec tu quicquam facere poteris, nec nos tecum, qui quantum pro subsidio terrae sanctae dudum laboraverimus, & laboremus indefinenter, serenitatem tuam non credimus ignorare, cum id ipsum ferè noverint universi, & praedictus magister magnitudini regiae poterit plenius indicare. Ut autem de sollicitudine & labore nostro fructus proveniat exoptatus, rogamus magnificentiam tuam, monemus, & exhortamur in Domino,

quatenus in spiritu humilitatis & animo contrito susceptae potestatis officium ita procures irreprehensibiliter exercere, quod per auxilium gratiae divinae loca nativitatis & resurrectionis dominicae, pristinae valeant temporibus nostris restitui libertati. Nos enim sumus in eo proposito constituti, ut, quantum cum Deo poterimus, auxilio tuo & terrae adesse velimus jugiter & prodesse. Latorem autem praesentium, virum providum & fidelem, magnificentiae tuae reddimus commendatum. Datum Laterani XII. Kal. Januarij.

NOVIOMEN. EPISCOPO,  
S. Medardi Sueffionen. & Compendien.  
Abbatibus.

Significantibus dilectis filiis Abbate & monachis Corbeien. nos accepisse noscatis quod cum Ecclesia de Vicia in pago Tornacen. sita, sicut in eorum privilegiis continetur, ab episcopali sit jurisdictione exempta, nec debeat alij nisi praefato monasterio respondere, venerabilis frater noster Episcopus & dilecti filij Capitulum Tornacen. eam nituntur suae jurisdictioni supponere, & Presbyterum ejusdem Ecclesiae, cum eis non liceat, excommunicare praesumunt, & in hoc monasterium ipsum molestatione indebita fatigare. Super quo licet per eosdem Abbatem & monachos praedictus Episcopus ad sedem apostolicam fuerit appellatus, & terminus festum sancti Remigij appellationi prosequenda praefixus, per eum nec per alium appellationem prosequi procuravit. Vnde nos eisdem per scripta nostra praecipimus ut ab ipsius molestatione indebita penitus desistentes, super Ecclesia memorata contra privilegia sedis apostolicae non praesumant ipsum laedere quomodolibet vel turbare. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus atque praecipimus quatenus eos à molestatione ipsius contra privilegia Romanorum Pontificum districtione qua videritis expedire sublato appellationis obstaculo compescatis. Nullis literis &c. Quod si omnes &c. tu frater Episcopo cum eorum altero &c. Datum ut supra.

Epist. 488.  
Ut injurias monasterij Corbeien. profsequantur, & privilegia defendant.

¶